



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæst. 1. Quæ negociatio seruoru[m]?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

malitia. Ibi Chrysostomus: Hæc, inquit, noua accusatio est. Quam enim excusationem habet, qui lucem fugit, & tenebras mauult? Non dicit coguntur: sed obtemperant inuititiæ, vt scias, liberæ voluntatis esse rem, non crimen necessitatis.

Eodem modo Basilii, Athanasii, Damasceni. Non oportuit, inquit Basilii, per baptismum auferri τὸ πονηρὸν malum, ne quis ratione instructus, in numeru animalium irrationalium reijceretur. ἄρα μὴ κεκτημένος τὸ πλὴν χάριτος ἀπορρίπτεται. Quasi non obtineret gratiam liberi arbitrii. Et Damascenus l. de prouid. c. 46. Vnde enim Dominus diceret: Euge serue bone & fidelis, si nihil ille sua voluntate fecit?

Cur alter malus, nisi sua voluntate? Boni quidem sunt gratia, sed tamen & voluntate cooperante. Denique cur in tenebras exteriores proficitur, si non potuit dare trapezitis? ut aliquo saltem Dominum augeret fœnore? Noluit negociari, defodit in terram, timuit, si aliud melius nō potuit, crudelis est Dominus in miserum, non iustus in malum. Imo cum videretur timor excusationem pigritiæ adferre; non idcirco punit, quod negociationis aleam non subierit, fortem in periculum non dedit. Id quod facillimum fuit, nec ingenio, nec labore parabile, fieri poterat, ut ad mensam daret. Oportuit igitur e committere pecuniam meam nummulatiis. Quod si non potuit, excusari debuit, & si excusari non debuit, id facere potuit. Si necessitas miserum preffit, quid mirum si cessit?

Ἐπὶ τῆς ἀνάγκης πῶς τὸ δὲ ἄλλ' ἐν τῇ πόλει.
A necessitate cuncta facile domantur.

§. 3. Ex quo etiam consequitur, patrem familias seruis suis impossibilia non imperasse. Cum vero hic Non impede de vita humana agatur, operibus, & præmiis ac pœnis, debuit ea lex figi, ratioque viuendi imperari, quæ sibiilia Domini gratia adiuuante a nobis teneri posset. Qui firmo est animo, omnia illi facilia sunt, infirmo etiam leuia sunt graua. Nostros Lutheranos mirum in modum confundit Hieremias Constantinopol. primo responso. c. 19.

εἰ δὲ ἀνάγκης ἀπαιτεῖται, διωχόμεθα, ὅσον ποῦν καὶ πρὸς αὐτοὺς ἐπιτελεῖται. Οἷον ἡ λέξις, ἀναπλῶναι, καὶ πρὸς ἄλλων ἀρξάναι, σῶμα ἔχοντα ἐξ αὐτῶν πάντων ἐκδιωχόμεθα. ἢ ἐν εἰς βασιλεὺς ἀπαιτεῖται τὸ ποῦν, καὶ ἰσχυροὶ ἢ ἐλάττω λέγοντι τὴν μητρίαν καὶ ἀνδρῶν ἀπὸ τῆς ἐξουσίας κατέχουσιν, καὶ κατέχουσιν, ἢ ἀπὸ τῆς πόλεως ἀνδρῶν ἀντὶ τῆς ἐξουσίας, καὶ δαμῶν, καὶ δέχονται τὸ ὄφους. Ἀν δὲ τῇ δόγμα, οὐ φρονέοντες ἐν ἐν ἐπιδόξῃ ποιοῦν τὸ πρὸς τὴν πόλιν, καὶ ἐν τῇ πόλει. Διὰ τὴν ἀνάγκην ἀπὸ τῆς πόλεως, εἰ δὲ καὶ κατέχουσιν, διωχόμεθα τὴν ἐξουσίαν, καὶ μηδὲν παρὲν ἀνδρῶν. Οὐκ ἐν δὲ ἀνὰ φύσιν κατέχουσιν, καὶ οὐκ ἐν ἀνάγκῃ, καὶ ὅσον ἀνὰ μέγεθος αὐτοὺς ἐξουσίας ἐμφανῶν. Id est. Sin necessitate poterit: qui non facit, voluntate sua non facit. Exempli gratia, qui graue corpus habet, fieri non potest, ut ad coelum subuoleret. quid ergo si Rex imperet hoc sub pœna mortis dicens. Homines non volantes obtruncari iubeo, & cremari, aut aliter necari: num ne aliquis faceret? Nequaquam: Repugnat enim natura. Si verò decretum faciat, reuerentiam colendā esse? nū non multi dicto audientes fuerint? Negas, propter transgressores. At si talem in vincula coniecero: poterit is illi decreto obedire, & pœnam effugere? Non igitur alius naturā bonus est, alius naturā malus. Alioquin non mutaretur, sicut manifeste videmus. Quid potest hac in re dici clarius contra eos, qui cum flagitium fecerunt, necessitatem prætulerunt. Quali necessitate, non prænata voluntate peccetur. Nec dicere improbis licet, fati adactos, in scelere peritantes fuisse, sicut ille

ἀνέμῳ καὶ κύματι πρὸς ὄψιν.
Ventus & fluctus appulsi.

Nec aliud respondent nostrates; quam non esse in libero arbitrio eas vires, quæ fuerunt ante baptismum, quasi vero id Græcus ille nesciret. Tunc enim felicitate operabatur, cum delectatione sine fœnore bonum, nunc voluntas deprauata laboriosam habet virtutis exercitationem, sed non coactam. Ratio gratia Dei adiuta recta cognoscit, & voluntas perficit libere, & non coacte. Non sumus sufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, sed tamen nostra sufficientia est ex Deo. Operatur ille in nobis velle, & perficere, non cogendo, sed suadendo, gratiam auxiliumque ferendo, amorem infundendo. Talenta igitur legitime omnia expendenda sunt, dona fortunæ, corporis, ingenii, auctoritatis, doctrinæ, gratiæ. Nihil terræ infodiendum, omnia ad gloriam creatoris proferenda.

VERSUS 16. 17. & 18.

Abijt autem; qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem talentum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.

QUESTIO I.

Quæ negotiatio seruorum.

§. 1. **D**vo operati sunt in eis. ἐργάζεσθαι extremè gerere, negociari: Proprie interdum negociationibus tribuitur. Alioquin ἐργάζεσθαι tribuitur manualis opificibus, seu τοῖς βαννοῖς, quorum officina ἐργαστήρια dicuntur. & ligna eorum seu instrumenta, ξύλα ἐργάσματα, ligna seu instrumenta fabricatorum, quibus operantur, quæ non sunt κέλευσμα, igitur deputata. Hinc dictam puto, quæ apud Spartiatas erat Παιδεία ἐργάση, in Chalcedone, Quod operibus & negociationi præsidere fingeretur. Malim tamen ἐργάζεσθαι sic de commerciis & negociationibus accipere. Hoc etiam indicat Syrus: Nam τὰς ἀπὸ τῆς ἐργασίας, quæ etiam vers. 20. significat lucratum esse, quemadmodum etiam ἐργάζεσθαι Herodotus in Clia. μεγάλῃ χρηματίζεσθαι, & Demost. κατὰ δίκην. διὸ καὶ τῆς ἐργασίας τὴν αὐτὴν ἀπορρίπτει, & Aristotel. Oecon. τοῖς λοιποῖς ἐκείλινον ἐργάζεσθαι. Quod politimum proprie ad hunc spectat locum. Negociari igitur Dominus voluit, atq; omni in re lucrū querere. Talis negotiator erat Paulus Rom. 15. v. 15. & 16. & hic præstantissimus, qui quinque talenta acceperat, nā magna opera effecit, nec contemnendus, qui duo lucratus est, cui non industria, sed materia maior defuit. Vnus sibi defuit absconditor talenti. Quod sic intellegendum, non quasi illi, qui minora acceperunt, semper abscondant, qui plura negociantur. Sæpe enim contingere solet, ut non modo seculares, sed Ecclesiastici etiam ingentibus donis præditi, ocio, aut inutili negotio vitæ prodigant, diuinæ gloriæ gratiam concessam non impendant, sed pecuniam seu ἀπορρίπτουν, vt est in Græco, vt & in Syro κατὰ Καίτη, defodiant in terram.

§. 2. Quod si quispiam talenta, & dona de filiis de sola interpretari incipiat, a limine aberrabit, nam

nam ipsi etiam Sectarii de donis interpretantur, vt Bezæ, Bullingerus, Musculus. Aiunt etiam eos perituros, qui in Euangelio negligentes fuerint. Securitas certe non potest dari; nam varia est & incerta negotiandi fortuna. Et si rem consideremus, securissimum qui fuit, damnatus est. Talentum inquit reddo, quod tuum est, memissum face. Quasi dicat, nihil hic labore opus est, credo mihi non imputari negligentiam, credo iustum me esse. Alii lucrati sunt, & duplicarunt, (vbi quædam Græca exegesis ex glossa habent) at mihi curæ non fuit, vt essent *ἐν τῇ ῥησὶν* tua, vt auferentur, sed vt meæ securitati consulere; Sciebam enim, mandata tua esse impossibilia, & opera ad salutem non facere.

VERSUS 19. & sequentes.

Post multum vero temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi Dominus eius: Ego serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, &c.

QUESTIO I.

Quod iudicium de seruis, & primum?

§. 1. Post multum temporis Dominus rediit, vt magis esset negociandi copia, & si quid damni fecissent, vt fieri affoleat, id diligentia, & industria restituerent. Longum tempus est, illud, quod in præcedente parabola indicatum est per moram sponsi. Venit tamen, & rationem ponit cū seruis suis, *αὐταί γε*, simul ponit; nempe rationes expensæ & accepti confert, id vero in generali, & particulari iudicio. Syrus, *נאמן* rationem. *וְהָיָה* quod dicitur de accurata, & meditata ratione, a verbo *חשב* quod est studiose, acute, & prudenter moliri, cogitare. Nam omnium ditorum, etiam verbi oculos reddent ratio. Nihil enim occultū, nihil erit impunitū. Cogitationes omnes nō facta modò clarā in luce apparebunt, & accusabunt. Neminem tutum redet vel tans, vel tenebræ, omnis tergiversandi est absumpta occasio. Quales inquit S. Amb. 1. S. in Euan. Luc. autem mites qui possunt metum futuri collibere iudicii, cum scriptum sit: Tremor ante te montes occupabit: & celum & terra transfuerunt: Quomodo terrarum portio manebit immunit, aut tuum me poterit, quæ nec ipsa se seruat? Vbi igitur me ab ira eius abscondam, qui conturbat profundum maris? Si ascendero in celum, ibi est: Si descendero in infernum, adest. Non ego falli possum, qui vbi que est, sed placari. Adest itaque iudicii dies: Si non vix comprehendi, quot idie time, quot idie fuge. Quæris quomodo fugias? Ascende in montem qui euangelizet Sion, vt ex celorum vertice possis eminere meritorum. Deus enim montium, & non vallium est. Ascende eo, vbi Christus sedet ad dexteram Dei, cuius fundamentum in montibus sanctis, & montem circum eius. Mons tuus Paulus, mons tuus Petrus est. Super eorum fidem mentis tue locato vestigium. In lege Dei, acque hæreditate fidei constitutos iudicii dies non ad pernam inuenit, sed ad gloriam.

§. 2. Eo in timore operatus est ille seruus, qui adueniens dicere potuit: *Δικαιώθητε ἐν τῷ φόβῳ, ὡς ἔσται*, Adams Conzen in Ehang. Tom. 1.

alia quinque lucratus super ipsa, noster legit, *ἐπὶ τῇ ἰδίᾳ* donis superlucratus sum ipsis. Syrus: *עליון* super ipsa. Laudatur, Retulit enim argentum quod accepit, & tantundem qui lucrati sunt. & nam ex Græco esse glossa testatur *ἐπὶ τῇ ἰδίᾳ* vt in lingua Ianan, seu Ionica, hoc est Græca. Eadem voce laudatur & qui duo superlucratus est.

Non tamen ille supra multa, vel paria, vel numero æqualia constitutus est. Nam alter decem talenta habet, hic quatuor. & iam supra ostendi. Hieronymus ex his meritorum disparitatem demonstrat. Ita Merita imparia. Iovinianum ille ex eo conuincit, meritorum paritatem in Ecclesiam inducere parantem. Nostorum sectariorum furor, non modo paritatem, sed ipsa merita, adeoque ipsas virtutes excidere conatur. Bullingerus hoc loco ambigue loquitur claritate textus conuictus, & sua hæresi impeditus ne omnino vera fateatur. [In eo autem iudicio oportet vnumquemlibet nostrum rationem reddere omnium eorum, quæ dixit, & fecit. hoc est, quomodo donis sibi à Deo concessis usus sit in hoc sæculo. Et paulo post. Per duos seruos omnes boni per Ecclesiam significatur, quorum vt est dispar gratia, ita fructus quoque impar. Et deinceps. Proinde cum ipsi de se modeste sentiunt, merentur habere ipsum Dominum laudatorem. Nam ipsi iam prædicat, ac collaudat, ipsorum fidem ac diligentiam, præmiumque confert iustis, atque pulchris virtutibus, Euge, inquit, &c. Et paulo post; Ineffabilia ergo dona rependuntur fidelibus seruis à Domino. Nam intra, ait, in gaudium Domini tui, &c.

Hæc vere & catholicè. Nec illud male. [Rursus quisquis liberalissimam Dei beneficentiam expertus, dispensatione plurimum valet, & lucrum indies facit amplissimum, meminerit se aliena liberalitate felicem esse, Deo ergo gratias agat, &c.] Quod a. communi suorum errore, meritum, ideoque præmium negat, cū hisce consistere nō posse, ipse sine dubio iudicauit.

Non potest vlli dubium esse eos mereri dominum laudatorem, vt Bullingerus ipse fatetur. Nam cum dona sint gratuita ipsa talenta, operatio, & cooperatio, lucrum ipsum; non est gloriandum; sed Deo gratia habenda, qui sua dona, nostra voluit esse merita. Et primus quidem plurimum fructus Deo retulit, fructus ille est augmentum gratiæ, & bonorum operum exercitatio, & quicquid inde in alios utilitatis deuenit. Fructus ille ex merito est, quia ex promissione redemptoris. Nam gratia dispar, & fructus impar, quia responder gratiæ. In Ecclesia sancta sedulitate pensare iubet, quod hætenus deminutum dolet. Promissio igitur Dei tenetur in Ecclesia, qua constat, posse pensari sedulitate sancta quod deest, id si fiat, non deerit ex fœdere manus munifici liberatoris.

Quod si etiam quispiam lucrum facit amplissimum, de liberalitate Dei liberalis, non est dubium lucrum esse ex pacto, ideoque ex merito, licet, pactum, & meritum sint ex gratia, solum autem debitum ex pacto. Superlucratus sum, vterque dicit, non exprobrando Deo labores suos aut merita, sed gratias agendo, quod gratiam dederit, & ex gratia laborantibus præmium promiserit. Si Deus collaudat fidem, & diligentiam, si præmium confert iustis, & pulchris virtutibus, & confert ex promisso, vi iuramenti sui, etiam confert ex merito, quod ipse promittendo fecit meritum; alioqui nulla mercedis expectatione omnia facere etiam oportet. Laudat autem bonitatem & fidem, nec modo laudat, sed propter eam, supra multa, inquit, te constituam. Cum ergo Dominus vniuersorum pronunciet; se eos supra multa constituturum quia super pauca fuerunt fideles, non oportet seruum negare mercedem reddi operibus, cum Dominus prosteatur. Quis obsecro hominem ferret, hic de sola fide

R r garrien-